



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones ab Alexandro VIII. Innocentio XII. & Clemente
XI. editas

Luxemburgi, 1739

LXXXIX. Abrogatio Discretorum Congregationis Doctrinæ Christianæ in
Gallia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74715](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74715)

fortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, & per omnia inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non omnibus, & singulis illis, quæ in prædictis Clementis, & Innocentii prædecessorum literis concessa sunt non obstat, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscat. die XVIII. Martii MDCXCVII. Pontificat. Nostri Anno Sexto.

LXXXIX.

Confirmatur Decretum Congregationis Episc. & Regul. circa abrogationem Discretorum Congregationis Doctrinæ Christianæ in Gallia.

Constit. ed. 1696. Mar. 16. P. 5. præcepta sunt vita communis. Et Const. ed. 1698. Aug. 9. P. 8. agit de interventu Discretorum in Capitulis.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Alias emanavit a Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita in Curia Avenionen. inter dilectos filios Josephum Bellisen. Procuratorem Generalem Congregationis Doctrinæ Christianæ in Gallia ex una, & Discretos, & alios particulares Presbyteros ejusdem Congregationis ex altera partibus vertente, Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet: In Causa Avenionen. vertente inter Patrem Josephum Bellisen. Procuratorem Generalem Congregationis Doctrinæ Christianæ in Gallia ex una, & PP. Discretos, & alios particulares Presbyteros ejusdem Congregationis partibus ex altera. Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita Partibus ipsis auditis, referente Eminentissimo Carpineo ejusdem Sacræ Congregationis Præfecto, censuit, & declaravit, Decretum Capituli Generalis super abrogatione Discretorum non sustineri. Romæ 25. Maji 1696. G. Card. Carpineus. Loco & Sigilli. A. Archiepiscopus Athenarum Secretarius.

§. 1. Cum autem, sicut pro parte discretorum Discretorum, ac aliorum particularium Presbyterorum Nobis nuper expositum fuit ipsi decretum hujusmodi quo firmius subsistat, Apostolica confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desideret. Nos ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & penis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodata

existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robor adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

§. 2. Decernentes easdem præsentibus Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, dictæ Congregationis, Doctrinæ Christianæ, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis Statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus, pro plene & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanens, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscat. die XXIII. Mar. MDCXCVII. Pontificatus Nostri Anno Sexto.

Confirmantur Indulgentiæ perpetuæ a Paulo V. concessæ Congregation. antiqui Rigoris Ord. Præmonstraten.

Laudata Const. ed. fuit 1606. Oct. 19. Et Ben. XIII. Const. ed. 1729. Jul. 11. P. 6. extat Indulgentia plen. perp.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius modernus Vicarius Generalis Communitatis, sive Congregationis Antiqui Rigoris nuncupatæ Ordinis Præmonstraten., quod dudum felic. record. Paulus Papa V. Prædecessor noster, volens universum Ordinem prædictum, ejusque Religiosos spiritualibus Indulgentiarum muneribus decorare, de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confusus, supplicationibus quoque tunc existentis Abbatis Monasterii Sanctæ Mariæ ad Nemus dicti Ordinis in Lotharingia Vicarii Generalis ejusdem Ordinis sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, omnibus, & singulis Christianis fidelibus, qui poenitentes, & confessi die festo S. Norberti Sacrum Missæ Sacrificium fecissent, vel Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpsissent, plenariam. Ac Religiosi prædicti Ordinis, qui reformationem a Capitulo Generali anni 1605. statutam receperant, ac præsertim Regulæ, quæ incipit, Sicut passimini ab uno Cellerario, sic induamini ab uno Vestiario, prorsus obtemperassent, etiam plenariam: Necnon qui reformationem, que

Confirmatio
relati Decre-
ti.

Clausula.

XC.

Dat. 20. Apr.
1697. An. 6.

Referuntur
prædd Indul-
gentiæ, videl.

7. Plenaria.

tunc

Dat. 23. Mar.
1697. An. 6.

Lis inter
Discretos, &
Procurato-
rem Gen., ac
super ea De-
cretum Con-
gregationis
pro primis.

Preces Dis-
cretorum,
aliorumque.